

Et postea anno MCCLXXVIII iterum totum est renovatum, reformatum, restauratum et confirmatum hic et in Ering et in montibus Hönhard et Atergew per Bertoldum episcopum Bambergensem et per posteros suos etc.

Et postea anno MCCXV exustum est monasterium in Nidernaltach per comites de Pogen.

Item anno domini MCCCXXI in vigilia penthecostes in monasterio Aspach hora completorii dum fratres assiderent sacre lectioni fulgur igneus insonuit mox acrius, quatuor ex ipsis in terram prostravit quasi semimortuos, unum tamen ex his quattuor plus dirius percussit, ita ut totus ex uno latere a vertice capitis usque ad plantam pedis tamquam plumbo liquefacto perfusus totus adustus videlicet atque calceum sibi mirabiliter de pede scindens, qui diu reservatus fuit in signum.

---